



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quod hæreticis non sit credendum, qui peruersè scripturas contra
explanationem Ecclesiæ interpretantur, & quod continentia non sit
impossibilis seruatu. Cap. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Bonos monachos propter quosdam malos male audire non debere.

periantur, quid colligi hinc aliud poterit, quam eiusmodi Deo gratum esse viuendi modum, quem prius instinctu suo per sanctos quosdam tanquam familiares amicos suos seuit & instituit, & per miracula dilatauit consolidauitq;? Quod si qui mali inter eos inueniantur (sicut in omnibus institutis & congregationibus ab orbe condito fuerunt, hodieq; existunt) boni propterea improbari non debent, sed primates & magistratus id genus homine, siue monasteria ad bonam religionis semel susceptæ obseruationem compellere & coercere deberent. quæadmodum olim fiebat, quando ardor diuinæ charitatis etiam in secularibus magnatibus (qui tum diuinum honorem & non religiosorum opes quærebant) feruebat. Qui nimirum multa industria hoccurabant, vt Ordines isti in sua religione iuxta primam institutionem, quæ Dei instinctu per sanctos homines inchoata fundataq; erat, conseruaretur, ad quam suapte se sponte religiosi tales obstringunt, & spondent custodiendam, à qua post votum non seruanda immunes esse nequeunt, quamq; deferere non debent, nisi periuri & votifragi coram Deo esse velint.

Quod monachi siue moniales apostata coram Deo votifragi & periuri sint, & ipsorum criminis sint participes, qui ipsos iuuant & defendunt.

Caput XVIII.

Religiosi apostata & qui eis fauere quo loco habendi sunt

Coniugia ecclesiasticorum scortationes potius esse & incestum.

Galat. 6.

Homines, inquam, monastici, videlicet monachi & moniales apostata, qui suum Ordinem relinquunt, & cucullos abijciunt, & vota sua Deo sponsa infringunt, votifragi & periuri coram Deo, & quasi sacrilegi existunt, quod Deo semel immolata adimant. Eiusdem sunt consortes criminis, qui huiusmodi apostatis & fugitiuis monasticæ professionis hominibus consilium, auxilium, fauorem subsidiumve ob scedi fragium suum erga Deum, præstant: veluti, proh dolor, iam fit ab ijs, quorum tales transfugas & apostatas monachos siue moniales punire interest, qui ad ignominiam & dedecus sacri matrimonij (quod verbis & sub falsa specie ineunt, at reuera tamen contra prohibitionem S. Ecclesiæ, contraque proprium suum votum contrahere nequeunt) scortationem suam & incestum obtegere, libenterq; sub specie quadam & nomine matrimonij cohonestare volunt. Et ab hoc nemo sese excusare potest. Licet enim eius in scripturis non tam frequenter commoneamur, quilibet tamen sicut ex naturæ luce intelligit & vult fidem sibi & promissa, aut quæcunque sibi sponsa sunt, ab alijs præstari, ira contra alijs pollicita promissa siue sponsa præstare tenetur. Si ergo hæc hominibus debet, quanto magis Deo, qui, vt Paulus ait, non irridetur?

Quod hæreticis non sit credendum qui peritæ scripturas contra explanationem Ecclesiæ interpretantur, & quod continentia non sit impossibilia seruati.

Caput XIX.

Hæretici vt scripturæ verba contorqueant.

EO, proh dolor, hodie ventum est, vt eiusmodi, qui in meris verbis Euangelium iactant, velut qui de Lutheri secta descendunt, Euangelium omnesque alias scripturas ab ipso sensu, quo dictæ sunt, in intellectum alium pro suo arbitratu confictum, detorqueant ad defendendum sua vitia carnis & lasciuiam, tanquam ita Christus docuerit sicut ipsi verbum eius explicant,

pliant aut sicut ipsi turpiter loquuntur, turpiusque faciunt: aut tanquam omnia, quæ ipsi comminiscuntur & loquuntur Euangelium sint. Et licet ignavis verborum speciem è scripturis proferant, quibus propria stabilire figmenta (sicut semper hæretici fecerunt) volunt, non tamen ipsis adhibenda est fides contra intelligentiam siue expositionem scripturarum, quam nunc habet Ecclesia, & ultra mille annos habuit: qui harum interpretes fuerunt, sua sancta vita doctrinæ suæ testimonium præbuerunt (quod ad hodiernum usque diem ubique gentium liquet) & Deus ipsis testimonium per multa miracula & signa tulit, quæ cum in vita, tum post mortem fecerunt. Quid autem contra hoc fides adhibeatur illis, qui iam nouum, falsum & carnale Euangelium, hoc est, hæreticam verborum Euangelij, ac aliarum probatarum sacrarum scripturarum intelligentiam confictam in medium producunt contra voluntatem & sensum eorum, qui conscripserunt, & contra sensum Spiritus sancti in scriptura loquentes, & contra intellectum scripturæ sanctæ quem Ecclesia sancta hæcenus per Spiritum sanctum illustrata & gubernata, habuit? Quorum nouorum pseudoeuangelistarum hodie (vt cernere est) sic est efformata vita, & sic tota in carne & contra Euangelium, vt ne species quidem appareat, qua credi possit vlllo modo cum ipsis Spiritum sanctum consortium habere. Ex his sunt perfugæ monachi, qui posteaquam suorum septa monasteriorum transiuerunt, vxores duxerunt sub falso coniugij obtentu, vt quisque considerare possit, quid eos è cœnobijs expulerit. Quod cum libenter volunt, & non possunt tamen excusare, dicunt impossibile religiosi esse sua vota custodire, præsertim castitatem. Sed ijs æquè, ac iudices seculares prætoresque quibusdam furibus se furta omittere non posse, quod congenitum ijs sit turari, & propterea impossibile omitti, dicentibus credunt, credendum esset. Et tamen nihil hos morantur iudices hi sermones. Admiratione equidem dignum hoc est. Si enim ignominiam blasphemiamque Dei, & multos hodieque castè viuere. tam multorum virorum & virginum (nunc apud Deum existentium) attendere (quæ tamen maximè spectanda esset) nolunt, mouere eos tamè deberet, quod tot etiam hoc nostro æuo vtriusque sexus homines in terris existant, qui continentiam seruant: quorum magnū est hoc opprobrium, si continenter viuere non posse falso dicatur. Quam multos est reperire duces, principes, nobiles, qui propter utilitatem publicam aliasve causas à suis diu abesse vxoribus coguntur? Similiter aulicos, mercatores, opifices, peregrinos & similes? Quorum non prohiberi, aut ipsorum vxoribus magna infamia, siue criminis nota inuritur si mœcham interim asserantur, quia castè viuere nequeant. Quam sunt adhuc multi hodie coniuges probi, iidemque iuuenes homines, qui mutuo consensu castam omnino virginitatem conseruant, & conuiuunt tanquam sorores & fratres? Quantisper talia tolerabuntur scommata ab ijs, qui suam libidinem & fornicationem hoc nomine excusare volunt, quod continentia sit seruatu impossibilis?

Non est ga-
benda fides
scripturas
aliter expo-
nentibus
quam Ec-
clesia sit in-
terpretata.

Euangeli-
corum cu-
iusmodi
hodie sit
vita.

Multos ho-
dieque castè
uiuere.

Quod